OBSERVATIONES

ET ADNOTATIONES QUAEDAM DE VESANIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAM

AD DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE GRADUM
AB AMPLISSIMO ORDINE MEDICORUM IN UNIVERSITATE
FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

RITE OBTINENDUM

DIE III. IANUARII MDCCCXLV.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

GEORGIUS CAROLUS SCHMIDTBORN

SARAEPONTANUS.

OPPONENTIBUS:

AUGUSTO FOCKE, DR. ET MED. SECUNDAR. IN NOSOCOM. SIGEBURG.
CAROLO VELTEN, DR. ET ASSIST. PRIM. CLINIC. MED. BONNENS.
RUDOLPHO SCHNEIDER, MED. CAND.

BONNAE AD RHENUM

IMPRESSIT CAROLUS GEORGI.

Alius error a reliquis diversus est praematura atque proterva reductio doctrinarum in artes et methodos, quod cum fit, plerumque scientia aut parum, aut nihil proficit. Nimirum, ut Ephebi, postquam membra et lineamenta corporis ipsorum perfecte efformata sunt, vix amplius crescunt: sic scientia, quamdiu in aphorismos et observationes spargitur, crescere potest et exsurgere, sed methodis semel circumscripta et conclusa expoliri forsan et illustrari, aut ad usus humanos edolari potest, non autem porro mole augeri.

Baco De Augment. I. p. 39 ed. Parisiens.

VIRIS

CLARISSIMIS EXPERIENTISSIMIS

MAXIMILIANO IACOBI

ILLUSTRISSIMO NOSOCOMII SIGEBURGENSIS DIRECTORI

ET

CHRISTIANO ROECHLING

MEDICO PHYSICO SARAEPONTANO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

OBSERVATIONES

in homine vesano institutae adiectis annotationibus inde ductis.

Quum benigna sorte mihi contigisset, ut per longius temporis spatium in nosocomio Sigeburgensi curandis vesanis operam darem, meisque oculis magnam omnis generis mente captorum copiam explorarem, animi impetus me duxit, ut inde argumentum dissertationis ad summos honores ab illustri medicorum ordine impetrandos edendae mihi peterem. Sed iuvenis, cui stimulus quidem et alacritas non desunt, sed deest ars et usus, ne temere rem difficillimam aggredi et in ipsos disciplinae gravissimae recessus audacius invadere viderer, optimum duxi ac tutissimum unius vesani a me explorati vitam et casus enarrare, deinde quaedam adiungere, quibus tam de hoc morbo, quam de similibus generatim exponeretur. Qua quidem in re hoc sequutus sum, ut aut ea dissererem, quae ipse observavi, aut ea, quae ab aliis animadversa meis congrua cognovi. Scilicet hac via et ratione fore sperabam, ut ne quae viri in nostra arte versatissimi praeclare docuerunt, moleste et inutiliter repeterentur, sed ut vera ab aliis inventa et proposita novis quibusdam experimentis comprobarentur. Naturam enim cum varie a variis percipi constet, opera modo descripta plane inutilis ne tum quidem videbitur, si nihil novi a me allatum esse apparebit, id quod in tot litteris tantae scientiae neque affirmare, neque negare

ausim. Erunt quidem, qui dicant morbi casum hic narratum satisque memorabilem non sufficienter perlustratum esse, me omnia, quae tractanda essent, non tractasse. Quod ut infitias eam, tantum abest, ut ultro concedam exprobrantibus; sed melius putavi pauca exponere, quae inter se cohaereant, ut speciem, etsi speciem tantum integritatis consequerer. Generalis vero cogitatio, quae epicrisi continetur, a lectore benevolo facile agnoscetur: sed num auctori res bene cesserit, ut quae voluerit, probaret, ipsi satis dubium, doctioribus et acutioribus arbitris decernendum relinquit, id unum a lectoribus precatus, ut opusculum tironis leni indulgentique animo accipere velint. Ceterum non possum, quin hoc loco gratias intimas atque optime meritas agam viro, qui et venerabili morum facilitate et insigni arte tam litteris, quam usu approbata semper mihi erit exemplar, *Maximilianum Iacobi* dico, illustrem Directorem nosocomii Sigeburgensis, qui magis mihi amicus paternus, quam praepositus severus, effecit, ut horae, quas Sigeburgi degi, per totam vitam laetae memoriae inhaesiturae sint. Itaque haec quoque, si qua bona iis insunt, ad illum tanquam ducem et auctorem referre placet.

Initium autem faciemus a vita eius, cuius vesania huic scripto occasionem praebuit, breviter enarranda.

Avus uterque aegri sanus, provecta demum aetate apoplexia abreptus, et paternus quidem ingenio mathematico eximius fuisse narratur. At avia paterna, posteaquam duo liberi eodem tempore demortui sunt, aegro animo laborans et avia materna ascite morbo vita defunctae sunt.

Pater aegri etiamnum vivit, vir corporis constitutione valida, irritabili, statura magna, robusta, temperamento sanguineo, indole praestanti ad artem mechanicam praeditus;

qui infans tussi ferina, anno aetatis vigesimo secundo febri nervosa vehementissima laborasse narratur. Ipse tradit se fratresque suos iam ex longiore tempore haemorrhoidibus sanguinantibus vexari.

Mater aegrotantis, in vivis et ipsa, ex matrimonii tempore semel febre nervosa et ictero, aliquoties *melancholia*, saepe spasmis, dolore dorsi, odontalgia, cephalalgia, omnino „nervorum debilitate" corripi, animo autem plerumque esse hilari atque affabili fertur. Matris soror et ipsa per breve tempus mente capta fuit. Cognatus aegri epilepticus, consanguinei tres infantes demortui, unus convulsionibus.

Ipse, matri quam patri similior facie, per sex tantum hebdomades matris lacte, tum aliis cibis nutritus est. Plures annos natus morbillis laboravit ad normam decurrentibus; ex anno aetatis secundo ad nonum, saepius catarrhis nasalibus correptus, alvum exsolvebat duram, foetentem, ceterum sanam pueritiam peregit. Puer erat docilis, sagax, memoriae bonae, animi mitis, interdum vehementis, semper sui ipsius voluntati innixus, benignae potius, quam severae tractationi obediens; in universum quietus, a ludis aequalium aversus.

Ab decimo ad sextum decimum annum peregrinas plures frequentavit scholas, quo tempore cerevisiae se dedit. Domum reversus, cogitationes concepit aetati non respondentes, de scribendis libris, inventis ab se machinis, sorte hominum emendanda, et quae sunt talia eius generis; omnino honoris se cupidissimum ostendebat, sua sponte magnam mathematicae et mechanicae arti (quarum indole praeditus erat excellenti) operam impendit; tam diligens erat, ut et in munibus negotiisque mechanicae perficiendis, et in linguis alienis ediscendis bene progrederetur. Animus benignus quidem, sed pronus ad irascendum, saepius ignota causa irritabilior. Eodem tempore, statura gracili, cito crevit, saepius de dolore frontis et pectoris querens; ab decimo septimo aetatis anno ad decimum nonum, quo vesanus factus

est, alvus continuo tarda, saepius binis diebus semel exsoluta.

Masturbasse hunc nostrum vel libidinosam degisse vitam, signa non adsunt; nec de parentum vel ipsius inopia quid innotuit, immo divitiis praeditus, moerorum inde exorientem non expertus est.

Ad finem mensis Aprilis anni 184— primo negotiorum causa suscepto itinere, post tres dies gloriando magnam vini Rhenani copiam exhausit, quo facto, aliam ad urbem transvectus, adhuc nil vesaniae hominibus secum colloquentibus demonstravit. Quum vero, inductus ab aliis, ludo alearum maiorem creditae pecuniae partem perdidisset, fere continuo unumquemque obvium vehementer obsecrare coepit, ut sibi opes committeret, quibus fortunam tentaret, pollicitus dimidiam partem lucri faciendi, magno impetu doctrinam explicans, qua adiutus intra hebdomadis spatium quamque lusorum arcam adipisceretur; neganti vim et arma minitans. Die postero cultros, machaeram, tela ignivoma minora emit, quibus abnuentem laederet.

Quo factum, ut publica auctoritate in animi habitum inquireretur, aegerque parentibus remitteretur. Quibus multa de inventis narrabat, omnino eximiam superbiam et iracundiam ostendebat, ut sine vi coërceri non posset. Somnus fere nullus, pupillae angustae, ciborum appetitus bonus, alvus admodum adstricta, morbi pulmonum signa nulla.

Octavo die mensis Maii nosocomio Sigeburgensi ad curandum traditus est. Corporis animique habitus tunc huiuscemodi. Statura gracilis, quinque pedes et pollices septem, macies permagna, pondus corporis centum viginti librarum, habitus quodamtenus phthisicus; musculi laxi, exiles; sceletum satis evolutum; tela cellulosa parca; lassitudo membrorum summa; constitutio erethica, debilis. Caput grande, irregulariter ovale; occiput planum; capilli sicci, tenues, densi, flavo-fusci, extractu difficiles; barba exoriens. Capitis calor non adauctus. Facies livida, macra; frons

lata, humilis, glabra. Oculi magni, nitentes, huc et illuc versi; pupillae latae, rotundae; iris glauca. Nasus pallidus, prominens. Labia oris sicca, squamosa; dentes boni; lingua madida, flava inductura obtecta; anima foetet; ciborum appetitus fere nullus, sitis autem magna. Salivatio nulla. Collum mediae longitudinis, gracile. Venae iugulares externae parvae. Thorax latus, planus, altitudinis minoris, clavicula dextra magis incurva quam sinistra, unde latus pectoris dextrum maius videtur. Tussis nulla. Alvus tarda, infuso Viennensi sumto laxa. Genitalia normalia, masturbationis signa nulla. Lotium parcum. Pulsus arteriae radialis 96—108 ictuum, mollis, parvus. Vespere febris. Somnus interruptus, non sufficiens. Queritur aeger de cephalaea. —

Perceptio non abnormis, sed multae conceptiones erroneae, satis stabiles, superbae animum occupant. Affectus et cupidines excitatae, praesertim libido gubernandi et iracundia, minimi momenti causis mota, se ostendebant, unde summa aegri violentia ac importunitas, unumquemque conspuit clamans omnibus esse moriendum, salivae enim inesse acidum hydrocyanicum. Quare noctu atque interdiu tunica molesta (Zwangsjacke) indutus erat. Ceterum satis sui conscius videbatur.

Die XII eid. Tussis brevis, sputis parcis, flavo-rubris; respirationis motus viginti octo in minuto temporis spatio, breves, celeres; rhonchus mucosus in parte superiore pectoris, ubi dolor; anima foetida. Mane vomitus mucosus, copiosus, sua sponte exoriens; lingua eadem, quae ante; ciborum appetitus parcus; alvus tarda; cutis sicca; pulsus arteriae radialis 96 ictuum, celer, tensus. Somnus, loquendi agendique ratio eadem. Praescriptum vesicatorium, regioni sternali imponendum; Vinum stibiatum cum Ammonio muriatico in aqua Sambuci.

Die XIII eid. Lingua sicca, paullum obducta, alvus pultacea, sitis magna; cutis sicca, sed mollis. Pulsus arteriae

radialis 88 ictuum, irritatus. Cetera eadem. Praescriptum Ammonium muriaticum in aqua Sambuci.

Die XVI eid. Lingua sicca, glutinosa, alvus tarda, tussis crebra, sputis copiosis, flavescentibus. Cutis paullum madet. *Circa nares herpes erumpens.* Pulsus arteriae radialis 64 ictuum, non tensus. Cetera, ut ante. Minus violentus aeger, conceptiones singulae erroneae vagae.

Die XIX eid. Pupillae etiamnum latae, nasus herpete tumet, nares obstructae, ciborum appetitus maior, lingua madida, pura; multi borborygmi; alvus bis mollis soluta; tussis et sputa imminuta; cutis sicca. Species melior. Pulsus arteriae radialis 68 ictuum, fortior. Somnus semper parcissimus. Loco Ammonii muriatici praescriptum decoctum album Sydenhami, pro potu mucilago gummi Mimosae.

Die XXIII eid. Detegitur hernia inguinalis externa dextra, magnitudine ovi gallinacei. Ciborum appetitus crescens, alvus fere semper tarda. Aeger delirat, sui plane inconscius, superbia evanuit.

Die III. Iunii. Epistaxis parca ex naribus etiamnum obstructis, alvus plerumque constipata. Pulsus arteriae radialis postremis diebus inter 60 et 70 ictus variabat, mollis, vacuus. Somnus melior, ex pluribus diebus aeger tranquillior, sed in loquendo nugans.

Die IX eid. Facies semper pallida, laxa; appetitus ciborum fortis; alvus sumto infuso Sennae solvitur. Tussis nulla. Pulsus arteriae radialis plerumque 60 ictuum, mollis, parvus. Ex mensis initio aeger hebes sensim atque tardus, somnolentus, etiam interdiu, factus est.

Die X eid. Custode incauto aeger nasum contudit, unde inflammatorius nasi tumor. Herpes evanuit.

Ex medio mense Iunio duo abscessus inguinis dextri et sinistri sua sponte exorti, qui cataplasmatis emollientibus obtecti, post aliquot dies pus emisere, mox clausi sunt. Etiam sinister meatus nasalis suppurat ex contusione illa. Animi conditio eadem.

Die XIX eid. aeger iterum delirat.

D. XXIV. Tussicula exorta, mox evanuit. Initio mensis Iulii furunculus surae sinistrae apparuit; per totum mensem vires lente crevere, vesania eadem remanente, ita ut aeger die XXVII primum sub divo ambularet. Alvus modo pultacea, modo obstructa. Somnus inquietus. Suppuratio meatus nasalis sinistri perstat. Decoctum Sydenhami continuatur.

Die XX. mensis Iulii aeger denuo accuratius exploratus est. Pondus corporis nunc centum decem librarum, h. e. decem libris minus, quam quum aeger receptus est. Facies macra, pallida, cachectica; vultus plerumque apathicum animum ostendunt, interdum hilares, torvi, tristes. Oculi nitentes, huc et illuc volvuntur, per pauca momenta in aspicientem figuntur. Palpebrae inferiores lividae, pupillae latae, aequae, rotundae, valde mobiles. Nasus pallidus, iam non tumidus; pars externa non dolet, in orificio meatus inferioris sinistri quidam loci exulcerati, parvuli. Effluit pus sanguinolentum, luridum. Persaepe aeger aërem vi ducit, quasi fluidum in naribus continere velit; nec emungit sua sponte, coactus autem lamentatur. Nec anima foetet, nec salivatio adest, neque ructus. Lingua madida, pura, normaliter protenditur atque retrahitur. Ciborum appetitus vehemens, omnes cibi eodem ardore eduntur. Sitis non abnormis. Vox modo lenis, modo fortis, modo clamans, modo flebilis; rauca atque magni sonorum ambitus. In sterno fonticulus vesicante effectus. Respirationis motus irregulares, superficiales, abdominales praevalent; numeras octo usque decem in minuto temporis spatio. In superiore pectoris parte, aegro tranquillo, sthetoscopi ope nil auditur, loquente aegro, interdum rhonchus sibilans, minus tamen in dextro, quam in sinistro latere. In latere sinistro partis inferioris respirationis sonus vesicularis, in dextro bronchialis; in dorsi parte superiore nihil, in inferiore respirationis sonus vesicularis observatur; bronchophonia in parte anteriore superiore ubique, minus distincte in parte inferiore anteriore et dorso.

Percussionis sonus per totum pectus fuscus, magis in dorso, quam pariete anteriore, magis in regione claviculari et subclaviculari dextra, quam sinistra. Tussis nulla. Cordis impulsum neque sentire, neque videre licet, rhythmus in universum regularis, clamando autem ictus frequentiores fiunt. Strepitus cordis lenis, uterque fere aequus, tamen distinctus; auditur supra totam anteriorem parietem thoracis, praecipue in regione claviculari dextra et supra partem sinistram dorsi. Abdomen protrusum, durum, sine dolore. Alvus semper tarda, secundo vel tertio quoque die, infuso Sennae sumto, primo vice dura, obscura, altera pultacea. Flatus frequentes. Masturbationis signa nulla. Lotium, exploratione levi chemica instituta, satis normale inveniebatur. Spina dorsalis et sensus nil abnorme demonstrabant. Cutis tenuis, sicca, frigida; supra calvariam et truncum defurfurans. Pulsus arteriae radialis mane 40—50 ictuum, debilis, parvus, lentus; meridie 60 ictuum, vacuus; vespere 60—70 ictuum, minimus, irritatus, in brachio sinistro paullum maior, quam in dextro. Pulsus carotidum respondet arteriae radialis; compressis carotidibus, nil abnorme inventum est. Somnus iam non interruptus, dormit aeger ab hora vespertina decima ad primam lucem. De dolore tantum nasi queritur.

Perceptio manca, quum aeger externis animum non intendat, et ipsa ratiocinatio sui conscia parca, cuius loco turbulenta conceptionum copia aegrum occupat, quas plerumque quidem vel significatione, vel vocum sono inter se cohaerere apparet; interdum autem nullo vinculo coniunctae *videntur*; reproductionem conceptionum involuntariam tenacem et bonam vel ex eo elucet, quod alloquentis verba singula aeger repetit, sequenti longa serie similium rerum nominum, prius iam aegro notorum.

Animus plerumque apathicus ut lacus placidus immobilis iacet, aut parvulis laetitiae et moeroris undulis in superficie crispatur. Cupidines, quamvis praevaleant, ita ut aeger quasi instinctu moveatur, tamen debiles, emortuae. Omnino

aeger, debilitationis maximae speciem praebens, tamen irritabilitate remanente, formam illam maniae prae se fert, quae mox in dementiam transitura est.

Die XXVI eid. Praescripta diaeta nutriens, mane pro prandio lichenis Islandici infusum, ambulatio sub divo. Interne oleum iecoris Aselli ter sumendum per diem, alternando cum infuso e radice Rhei, Calami aromatici, Kali tartarico parato.

Die XI. mensis Augusti. Erysipelas auris sinistri apparuit, normaliter decurrit, animo aegri non mutato.

Die XXI. eid. Tandem suppuratio nasi desiit. Ceterum hoc mense specie aegri meliore facta, viribus sensim crescentibus, status psychicus, initio exiguus, ut aeger lectum lotio et faecibus spurcaret, nec patrem agnosceret, sub finem mensis multo melior redditus est, aegro tranquilliore et mentis magis compote.

Die IX. mensis Septembris aeger prima continua oratione narrat se ludo alearum pecuniam amisisse, quam quum mater non remisisset, se in hanc conditionem esse redactum; plerumque autem nugatur. Appetitus ciborum bonus, *alvus quotidie bis vel semel, saepe pultacea solvitur;* iam lectus non spurcatur. Tussis per totum mensem iterum adest rara, sputis copiosis, foetidis. Somnus bonus, continuus.

Die XX eid. Primo desiit aeger delirare medici monitu. Pupillae magnae, rotundae, aequae, valde mobiles. Pulsus arteriae radialis 80 ictuum, parvus, debilis.

Die XXIV eid. *Faecibus durioribus*, *somno minus bono*, *facie rubra*, *capite calente*, *aeger violentior*, *inquietus factus est.* Pulsus arteriae radialis 100 ictuum, mollis, celer. Tussis fere nulla. Sensim vero, alvo pultacea, aeger quietus.

Initio mensis Octobris cognitum est capillos aridos, facili opere extrahi posse.

Die XXIII eid. Pondus corporis centum viginti octo librarum, i. e. duodeviginti libris plus quam vigesimo Iulii

die, octo libris plus quam octavo mensis Maii die; nihilominus facies sine ullo rubore.

Die XXVI eid. Loco infusi supra descripti datur Chininum sulphuricum ad granum quater per diem, ex quo alvus frequentior, semper pultacea.

Die XX eid. Quater molles faeces exsolutae; die post annotatum est in diario aspectum aegri prudentiorem fuisse, ipsumque affirmasse sibi male esse, simul scribit: „Si summa „proportionis est data, membrum medium proportionis inve„niatur“.

Mense Novembri corporis nutritione et viribus sensim adauctis, etiam mentis lumen crescere coepit. Observanda singula quaedam.

Die II eid. Pupillae dimidio minores sunt, quam mense Septembri.

Die XVII eid. Pingit aeger figuras geometricas, quas litteris describit.

Die XXX eid. Nutritio corporis adeo crevit, ut vestimenta angustiora essent.

Eodem modo lente hic noster convalescere pergit, et quidem modo tardius, modo celerius, per Decembrem, Ianuarium et Februarium; tussis omnino evanuit, alvus regularis factus est, facies subrubuit, tandem speciem iuvenis, non quidem floridi, sed tamen sani praebuit, nec remansit habitus corporis phthisicus; semper vero aderat tarditas motuum, neque hernia, quamquam imminuta est, plane evanuit. Eodem modo animus instaurari coepit, primo aeger tardissimus non nisi stimulatus et adiutus aeger quidquam peregit, tandem sua sponte et melius. Quo magis in convalescendo progrediebatur, eo magis rediit mathematices, rediit memoria rerum edoctarum, iam paene deperdita, quamquam animo tarditas inhaerebat. Patre vero urgente mense Februario dimissus est non sine metu, quum instauratio et corporis et animi nondum ad finem perducta et perfecta esset. Sed acceptae litterae docuere VI menses post, nunc

optima valetudine frui hunc nostrum, eumque omni modo vitae rationi multa et multum poscenti satisfacere.

EPICRISIS.

Caput I.

Primo de aetiologia dicenda quaedam videntur. Ex iis, quae narravimus, apparet duplicem familiae huius aegri inhaerere morbum, systematis nervosi (apoplexia, febris nervosa, epilepsia, tussis ferina, convulsiones, hysteria) et organorum abdominalium (haemorrhoides, icterus, ascites); vesaniae casus adfuere tres, duo specie ignota, tertius melancholia (hac laboravit aegri mater, cui filius facie similis). Ex quibus concludimus adesse in ea gente dispositionem, ut singuli gentiles obnoxii sint duorum morborum complicationi (systematis nervosi et organorum abdominalium), unde dispositio ad vesaniam ex cerebri affectione consequentem ita oritur, ut mali sedes praecipua et prima in abdomine sita sit. Haec dispositio hereditaria etiam eum, de quo locuti sumus, aegrum secuta est, id quod apparet partim ex vestigiis morbi intestinalis (scrofularum meseraicarum, ut videtur, quippe saepe catarrhis nasalibus vexatus est), partim ex corporis constitutione nervosa, tum ex singulari animi indole, quae ipsa exorta est ex nimio melancholico-cholerico temperamento, coniici potest.

Pubertate incipiente et perfecta aeger torpiditate tractus intestinalis premebatur, quae ad tempus evanuit, proximis autem ante vesaniam annis pertinax rediit, et tum sedendo in cubiculo, nimio litterarum studio, fortasse etiam immoderate sumta cerevesia, adaugebatur, cum sua vice constitutionem per se irritabilem magis irritabat.

Eodem tempore pubescendi negotium iusto celerius perfectum est, qua re systema nervosum eo magis funditus turbari necesse erat.

Quibus omnibus accessit (ut fere semper) nutritionis et virium defectus; maciem enim et languorem corporis, faciem cachecticam, quas aeger hospitium Sigeburgense intrans monstrabat, non intra decem fere vesaniae apertae dies exortas esse, luce clarius est.

Ex causis proximis in hoc casu consecuti sunt effectus tam luculenti, quam raro alias. Munere enim credito aegri superbiae satisfactum, eaque mox atrocissime fracta est, quum pecuniam sibi traditam ludendo perderet, nec praetereunda vini Rhenani copia die ante exhausta. Quapropter non miranda sunt, quae in animo et corpore tali evenerunt.

Si vero ad morbum ipsum transeamus, nos minime latebit symptomata, quae aegro Sigeburgi recepto apparuerunt, concurrere in statu gastrico (unde cachexia et irritatio cerebri, per se nimis irritabilis), in tuberculis pulmonum primi stadii, in viribus primo exagitatis, tum languescentibus; quibus post aliquot dies bronchitis accessit.

Animi status mania cum insania fuit.

Tubercula autem iam prius resedisse non dubium, bronchitis vero (certum enim ob parcam narrationem eorum quae ante receptionem, esse nequit) decurrente demum vesania, ut videtur, exstitit, et quidem (alia causa non tradita) nimium clamando, quum pectus iam debile, exorta; quae quidem initio mensis Iulii, aptis adhibitis remediis, evanuit, saepius recurrens tamen, nullo cum vesania connexu observato. Die decimo sexto mensis Maii prima apparuit vesaniae vicissitudo: *erumpente enim herpete nasali* vesania transiit in maniam meram. Sensim imminuta cerebri irritabilitate, mania cum dementia commutata est. Ceteris aegrotandi symptomatis minoribus factis, alvus tamen semper obstructa remanebat. Medio mense Iunio abscessus, mox rhinitis traumatica prodiere, quae diuturnam post suppurationem tandem mense

Augusto desiit; initio mensis Iulii furunculus, quibus omnibus animi habitus non mutatus est. Alvi autem obstructio quum duraret, providere licebat, dementiam non quemadmodum rebus bene evenientibus in statum animi normalem transituram esse, sed maniam recrudescere, quod iam undevigesimo Iulii die accidit, quum mania, quamvis viribus languescentibus minus fortis, rediit. Mense Septembri alvo copiosa, pultacea, somno bono, ciborum assimilatione adaucta, aeger loquendo ineptiebat, sed mentis magis compos erat. Dimidio mense Septembri accedentibus symptomatis congestionis ad caput insurgentis et alvo constipata, novus accessit paroxysmus, qui illis cedentibus ipse cessit. Tunc denuo dementia exstitit, quae, simulatque nutritio et digestio melior facta esset, tandem in bonam valetudinem transiit. Ex quibus omnibus elucet sedem primariam morbi in organis digestioni servientibus fuisse, nec minoris momenti habendam nutritionem corporis imminutam et irritabilitatem cerebri adauctam; nam tria haec inter se cohaerebant eodemque tempore apparebant, quum res melior fieret: alvus copiosa, pondus corporis adauctum, somnus bonus. Annotanda etiam crisis imperfecta per herpetem, qui ipse arguit causam fuisse in abdomine. [1])

Pauca mihi liceat de tuberculosis pulmonum apud vesanos frequentia dicere, quam de hominibus maniacis *Iacobi* narrat [2]); sed non magis in ceteris vesaniae formis hanc abesse iudicaverim: nam illustris *Rolleri*, directoris Illenauensis, gratia mihi concessum erat statistica sectionum diaria nosocomii, quod illo sub rectore floret, perlustrare, ubi reperi ex centum tredecim vesanis quadraginta pulmonum tuberculis obiisse, et in multis aliis (horum numerum non notavi) tubercula cruda inventa esse. Fortasse igitur

---

1) Conf. *Esquirol.* Folie I, 182 sqq.

2) *Jacobi* Tobsucht pag. 356, 357.

pulmones plus ad vesaniam faciunt, quam vulgo putatur, fortasse tubercula secundaria ex intestinorum morbis, qui tam multis vesanis communes sunt, exoriuntur. [1])

Animadvertenda vero nostro in casu pulsus arteriarum indoles, quae semper hora fere octava matutina observata est. Fuit enim pulsus, aegro in nosocomium intrante, 96—108 ictuum, parvus, mollis.

12/5. Bronchitide florente, 96 ictuum, celer, tensus.
13/5. . . . . 88, irritatus.
16/5. Herpete erumpente, mania imminuta: 64, non tensus.
19/5. . . . . 68, paulo fortior.
Ineunte mense Iunio: 60—70, mollis, vacuus.
9/6. . . . . 60, mollis, parvus.
20/7. Quum aeger ineptiebat, mane: 40—50, debilis, parvus, lentus;
meridie: 60, vacuus;
vespere: 60—70, minimus, irritatus.
20/9. . . . . 80, parvus, debilis.
24/9. Recrudescente mania: 100, mollis, celer, parvus.
11/10. Coeptante dementia: 60, parvus, mollis.

Ex quibus elucet:

Primo, mania dum maxime viget, aegro adhuc validiore, frequentiam et fortitudinem pulsus maximam esse, eamque simul cum irritatione animi adaugeri atque imminui. Secundo observatur, quam plurimi auctores negant, mollities et debilitas pulsus per totum paene morbum durans. [2]) Tertio digna, quae notetur, est differentia et qualitate et quantitate secundum diei partes; magnum signum, quanti in hoc casu fuerit momenti irritabilitas nervorum adaucta.

---

1) Addo, quod coniecturam meam confirmare possit, in sex gangraenae pulmonum vesanorum casibus (plures mihi non cogniti) cibos pertinaciter recusatos esse.

2) Conf. *Jacobi* Tobsucht p. 340 sqq.

Pupillae raro exemplo: ineunte enim morbo angustae, quum aeger reciperetur in nosocomio Sigeburgensi, latae, mobiles; $^{20}/_{7}$ latae, mobiles, rotundae, aequae; $^{29}/_{9}$ eiusdem indolis; $^{2}/_{11}$ dimidio minores, in convalescentia magnae intra normae fines, omnino, uti debent esse. Neque mihi praesto est explicatio, quum non nisi tres certae observationes similes ad meam notitiam venerint, dico eas, quae illustris *Iacobi* proposuit [1]), unde neque de aetiologia, neque semiotice, neque prognosi quidquam, quo fidere possis, eruere audeam.

Caput II.

Haec habui praecipua, quae de vesani morbo sane memorabili eiusque causis exponerem: quibus mihi liceat cum de omnis vesaniae, tum de maniae causis quaedam addere, quamquam et rei difficultas et virium mearum modus non eximius me minime latere potuit. Nam unusquisque, qui ipse eiusmodi aegros curaverit, sciet, quam raro medico contingat, ut satis accurate omnia illa saepe tam diuturna, tam occulta cognoscat, quae non minimi ad evocandum morbum momenti fuerunt; quippe quae haud raro aegro soli nota sint, vel cognatorum pudore obtecta aliis hominibus numquam committantur. Neque negandum rursus etiam nostrae artis viros non semper eo studio atque amore ex antegressis, quae explorari possunt, perscrutari, quo opus est, ut res clara et aperta fiat. Perlustremus verbi gratia egregii *Esquiroli* indices de vesaniae causis [2]), neque nos fallet sive repugnantia interna, sive causarum in singulis quibusque casibus paucitas: unam enim (velut *hereditatem*), quasi suffi-

---

1) Eid. l. c. histor. morb. XXI, XXXII, XLIII.

2) *Esquirol* Folie I, 28, 31, 33.

ceret, enarrat, dum observatio quemque virum diligentem docet, perraro vel uumquam unam causam sufficere, qua vesania provocetur, immo fere semper eum morbum post longam corporis et animi molestiarum seriem erumpere.

Et primum quidem de dispositione et congenita et acquisita quaedam dicenda sunt; quaeritur vero sitne dispositio ad vesaniam, tum qualis sit, postremo unde dependeat.

Omnium vesanorum historiae, quae quidem mihi innotuere, docent, ni manca narratio subsit, ea, quae de animi dispositione congenita opinari possimus, usu minus confirmari; nam plerique omnes aegrotorum ex infantia ad morbum incipientem usque erant animi varia, sed consueta indole, neque ab illa, qua vulgo homines praediti sunt, aberrante. [1]) Immo vero multis in casibus, in quibus multi cognati vesani hereditariam aegrorum et congenitam dispositionem concludere nos cogunt, certissime affirmatur aegros ante morbum omnino nihil singulare in loquendi et agendi ratione prodidisse. Quae affirmatio male congruit cum illorum virorum ratione, qui vesaniam tantum in animo positam esse contendunt, praesertim ubi tot vivere homines depravatos, sine modo, impotentes animi, uni tantum rei deditos videmus, qui nunquam mente capti fuere. Quamquam minime negabo esse aegros, qui ex prima pueritia ita se gesserint, ut vesania, postea erumpens, iam diu praedici posset. Qui, quamvis primo aspectu differentes, re vera tamen similes omnes sibi sunt; communis quidem omnium apparet irritabilitas animi abnormis, sive adaucta [2])., sive deminuta [3]), intra terminos

---

1) Videantur, quibus res probetur, accuratae maniacorum historiae in libro illustris *Iacobi*, cui nomen Tobsucht, a quibus non ahorrent, quae ipse observavi.

2) Conf. *Jacobi* Tobsucht cas. XIX, XXVI, XXVII, XXVIII, XL.

3) Cuius mihi ipsi casus satis stringens notus est; aeger ex prima infantia signa temperamenti phlegmatici modum exce-

tamen bonae valetudinis, ita ut res fere semper vitium temperamenti, quemadmodum nostro in casu, esse videatur. Temperamentum non proprias πνεύματος, i. e. divini in nobis, qualitates, sed relationem, in singulis hominibus variam, inferiorum ψυχῆς actionum inter semet ipsas et res externas continet. Sed illas actiones inferiores et ex animo et ex corpore pendere iam quotidiana experientia docet, quippe quae quoque ventriculi morbo, quaque coena, ambulatione, potu, diei annique temporibus immutentur; neque minus animi affectione mera psychica causa turbata etiam ciborum appetitum tolli, quilibet in se ipso observare potest, unde in populi ore proverbium illud de appetitu per malum nuntium perdito. Mihi vero, si meis ipsius observationibus credere mihi licet, sic videtur, illam turbatam animi temperiem, quae modo molestiis psychicis, modo cupiditatibus variantibus, vagis, modo inconsueto recordationis et conceptionum impedimento homines vexat, numquam oriri, nisi primaria vel secundaria praegressa comitanteque aegrotatione vel saltem turbatione corporis, praesertim organorum digestioni servientium.

Ex quibus omnibus colligimus nobis licere quidem de dispositione animi congenita ad maniam, vel potius vesaniam, loqui, si iis verbis denominemus dispositionem ad turbandas functiones psychicas modo nominatas, quae ipsa dispositione ad morbos functionum corporis ad illas facientium efficitur, atque in irritabilitatis gradu abnormi constat manifestaturque.

Quae omnia item de dispositione acquisita valent, qua in re plerumque tum propter causas magis apertas, saepe mere somaticas, tum quod et plerumque morbus corporis iam aliquamdiu vesaniae praegressus est, et malum corporis

---

dentis protulit, anno aetatis vigesimo fere sexto post breve excitationis spatium demens factus est.

atque animi utrumque eodem gradu crescit, multo clarius fundamentum somaticum elucet. [1])

Animadvertendum autem speciem vesaniae cum aegri indole ante vesaniam non semper congruere; immo saepius contrarium evenire, merito affirmari debere videtur. Omnino constat naturam vesaniae moralem, ut ita dicam, aliis magis rebus determinari, ingenio et moribus aegrotantis. [2])

Neque nostro in casu talis praedispositio animi abfuit: nam ex infantia erat hic noster tranquillus, ad interna versus, ludorum puerilium non amicus (quod Sigeburgi de aliis quoque audivi et legi), quamvis bonae indolis, tamen facilis ad irascendum, interdum vehemens. Adolescens autem altiora cogitans, vires sui ipsius iusto maiores aestimans, pronus ad iram, quae omnia, ut supra descriptum est, functionum corporis abnormitas comitabatur.

Quod autem ad causas remotas et occasionales attinet, mihi videtur, nos omnes vel plerosque saltem secundum naturam nostram humanam, quum animi symptomata multo fortius quam corporis eius, qui observat, mentem in se dirigant, ibi etiam causas psychicas solas vel praecipuas invenire, ubi vel minoris vel parvi momenti adsunt; scilicet saepe effectum pro causa habemns, immo saepe ipse inhumanos de causis vesaniae paralogismos ex ipsa vesania depromtos audivi, quasi falsissimum illud proverbium verum esset: infantes et vesanos vera loqui. Quamvis autem concedi debeat fere unicuique vesaniae casui moerorem vel curas vel terrorem, uno verbo animi affectiones iniucundas aut vehementes praecedere, tamen non minus verum est, neminem esse, qui, dum hanc vitam terrestrem degat, hac vel illa molestia non vexetur.

---

1) *Jacobi* Tobsucht p. 629. Conf. quoque in eod. libro casum V.

2) Conf. quae egregie dicit *Iacobi* in libro: Betrachtungen über Pathologie und Therapie der mit Irresein verbundenen Krankheiten I, p. 99 sqq.

Saepius autem causas cum effectu commutari duabus rebus prae ceteris probatur, dico *potandi libidinem* et *religionem:* hae enim creberrime accusantur, altera quidem saepius iure, saepius iniuria, altera fere numquam iure, de qua mihi quidem ne una quidem adest observatio fide digna. Quod autem hanc opinionem excitavit illud est, quod incipientem vesaniam, praecipue maniam, saepissime melancholia antegreditur, dum aegri, vehemente anxietate perturbati, partim eius causam quaerentes in aeternum condemnatos se habent, partim omni modo consolationem petentes, vel religioni, his in casibus sane fanaticae, vel vitae libidinosae se dedunt. Sed eos non vere fanaticos libidinososve factos esse, luce clarius est, quum sanati iidem fiant, qui ante morbum fuerant. E contrario religio, quae animi affectiones nimis vehementes, nocentes sive leniat, sive auferat, causas ex vitae mala ratione tam frequenter orientes prohibeat, optimum vesaniae munimentum haberi par est. [1])

Cavendum etiam nobis, ne somaticarum causarum singulas nimis respiciamus, quod facile accidit. Quamvis autem in hoc vel illo casu contingat, ut connexum aetiologicum demonstremus, tamen centum viginti casus perscrutans, nihil quod constans esset, nihil quod generale, eruere potui. Fortasse aetati futurae reservatum est, ut, vinculo animi et corporis dilucidius perspecto, conditiones, quae ad efficiendam vesaniam sufficiunt, clarius detegantur.

Praecursores psychici maniae et ipsi non semper iidem, raro plane desunt, quorum duplex est genus: nam praeit excitatio aut depressio animi modum excedens. Quod ad

---

1) Confer. quae dicit vir egregius *Zellerus*, Allgemeine Zeitschrift für Psychiatrie I, 1, p. 14 sqq.

numerum utriusque attinet, certa ratio difficilis est ad ineundum, quum mutatio minor cognatos aegri saepe fugiat et, licet animadvertant, tamen non morbosa habeatur. Sequatur index duorum casuum maniae, qui mihi praesto sunt.

Praecucurrit	Mares	Feminae	Summa
Melancholia tantum	8	5	13
Primo excitatio, tum melancholia	3	1	4
Non certum, sed verisimillime melancholia	2	2	4
Excitatio animi	1	3	4
Tarditas, quam excitatio sequuta est		1	1
Prodromi nulli	2	1	3
Ignotum	1	2	3
Summa	17	15	32

Observandum vero in plerisque casibus, in quibus de melancholia nihil dictum, coniecturam admitti, etiam istis affuisse tale stadium, quamquam interdum longiore temporis spatio antegressum. Quae res confirmabit fortasse id, quod *Zellerus* de melancholia cuique vesaniae formae praecurrenti contendit. [1]) Ceterum longe minor argumentorum copia, quam ut certi quid concludi liceat. Legas potius et diligenter expendas casus accuratissime descriptos et fide dignissimos, quos illustris *Iacobi* in libro saepius laudato narravit. Ex quibus consectarium est longe aliud: nam melancholia ne in dimidio quidem numero praeivit.

1) Allgemeine Zeitschrift für Psychiatrie I, 1, p. 25 sqq.

Semper vero prima maniae signa, sive exoriuntur ex depressione sive excitatione animi, ad eas functiones attinent, quae corporis habitu nituntur, h. e. omnia redeunt ad insignem abnormitatem et discrepantiam a solita animi temperie, ad cupiditatum et conceptionum rationem a modo desciscentem: cetera speciem tantum aberrationis ab normali *πνεύματος* actione prae se ferunt.

Mania autem ipsa maxime variat et re vera et aspectu, sed quod in omnibus a mania correptis perspicuum, unde nomen impositum, est *τὸ μαίνεσθαι*, furor ille vel potius impetus agendi quovis modo, nullo consilio definitus, qui hoc malo laborantes bruto animali, instinctui quod obsequitur, similes reddit, qui ab aegro ipso quasi vis aliena, nolentem volentem, secum trahens sentitur, unde exclamatio illa, quam saepius audivi: „Spiritus supra me venit!“ [1])

Docet vero res rationem, directorem totius animi legitimum, non quidem esse deperditam, nam aegri ipsi sentiunt, sed cupiditates stimulo *alieno* ita incitari, ut sui arbitrium

---

1) Omnino in maniacis hominibus haud raro occurrunt vestigia aegros ad partem saltem sentire sibi male esse in animo, quod probatur iis, quae saepius observari possunt, quemadmodum clamant se coactos esse etiam invitos haec sive illa facere; immo audivi aegros, dum paroxysmus aderat, vociferare se vesanos esse, et quae talia sunt. Quae fortasse *Damerowii* sententiam comprobant, quam in libro: Allgemeine Zeitschrift für Psychiatrie I, 3 p. 427 proponit, omnibus vesanis vesaniae sensum saltem inesse. (Alle Seelenkranke haben, selbst auf der Höhe der Krankheit, die Ahnung, zum Theil das Gefühl und das Bewusstsein ihres Zustandes.) Quod tamen de omnibus dictum neque negaverim, neque affirmaverim.

pro tempore evanuerit. Veluti enim navis ventis asperrimis iactata, gubernatore ne optimo quidem, gubernaculo non obsequitur, aequore autem Aeoloque pacatis, priorem tenet cursum, sic maniacus, inter morbi spatium sui ipsius non compos, morbo exantlato prior homo redit. [1])

Eadem constantia animum affectionibus maxime variis, inter se commutatis videmus iactari; modo ira, modo amor, modo moeror, modo hilaritas torva aegrum ad coelum efferunt, ad inferos deiiciunt. Praevalent vero affectiones iniucundae; quam saepe clamore, furore, cachinno aeger minime indicat anxietatem, qua opprimi eum observatio diligens docet. [2])

Tertium, quod nobis occurrit, maniae momentum, non constans, sed in mania tantum cum delirio quae dicitur obvium, est nota illa conceptionum vertigo, et qualitate valde inter se differens, cuius singulae partes fere semper ex memoria repetitae, imminuta animi receptivitate, secundum idearum associationis legem, h. e. secundum legem *similitudinis* sive conceptionum ipsarum, sive soni nominum, *simultanëitatis* sive in tempore, sive loco, *successionis* sive in tempore, sive in loco, inter se cohaerent, quamvis interdum voces, syllabae, soni nullo vinculo connexi ex ore aegri profluere *videantur*. Quae conceptionum combinatio (utpote non voluntaria et propositi carens) perraro nova producit, nec unquam fortasse, nisi leniore vertigine, cogitatione voluntaria minus suppressa, vel mania cum insania (Wahnsinn) combinata. Nec refutantur quae diximus eo, quod maniaci personas, loca, tempora commutent: res pro nobis certat,

---

1) Exemplum illustre illud Silvii Pellici, quod in libro de incarceratione ipse describit, ex quo clarissime elucet maniaca impetuum excitatio et πνεύματος libertas atque incolumitas.

2) De intimo maniae et melancholiae connexu vid. etiam *Burrows* Commentaries on Insanity p. 356 sqq.

quippe iudicium aegrorum, conceptionibus celeriter apparentibus rursusque evanescentibus, attentione animi ab externis minus magisve deflexa, constituitur partibus illis, quae in facie et habitu colloquentium, in locis vel omnino in rebus externis iam aegris notae sunt, quare facilius cum *reproductivo* idearum cyclo connexum ineunt, quam illae, quae aegris ignotae, alienae. Recte vero nos explicasse rem probatur, quod et semper similitudo rerum inter se commutatarum adest, vel re vera, veluti si aeger hospitium pro carcere habet, vel quae hallucinando fiat, ut si putat se esse in coelo, nec alii hoc accidit, nisi deliranti. Qui similis somnianti est, quare sanatis paroxysmorum saepe manca, saepe incerta adest recordatio. [1])

Observavi autem haud raro maniacos, non solum insanos (die Wahnsinnigen), in quodam tantum conceptionum ordine versari, saepe non illo bonae valetudinis; quae circumscriptio etiam in mania sine delirio eo trahitur, ut facilius haec et illa cogitationum series evocari possit. Unde exinanitio animi, quae sanae mentis hominem, multum sive plerumque vesanis utentem, opprimit.

Memoria multiplex et quantitate et qualitate, voluntaria (Erinnerung) in mania sine delirio saepius bonam, in delirantibus plerumque paene nullam, non voluntariam (Gedächtniss) omnino, et in mania cum delirio, et in mania sine delirio, valde variabilem, optimam et pessimam, inveni.

Quod si animo consideremus constantia cuiusque maniae attributa esse intemperiem affectionum et excitationem cupi-

---

1) Cavendum autem, ne visu seducti nimis obfuscatum habeamus conscientiam, interdum enim, ubi fere plane evanidam habuimus, aeger sanatus memoria omnia retinuerat, quae circa eum acta et dicta sunt. Quae observatio eadem hortatur, quae asphycticorum narrationes, ut enim caute praesentibus aegris nos geramus.

dinum, praesertim inferiorum, sed intellectum non semper esse abnormem neque contra cogitandi leges peccare, combinationem vero non voluntariam, quae peccet, anthropologicam esse functionem animi, i. e. pro parte ex corpore pendere, non possumus, quin agnoscamus et primariam causam *psychologicam* maniae in perturbata animi temperie (Verstimmung des Gefühlsvermögens) et nimia cupiditatum incitatione constare, nec πνεῦμα, h. e. superiorem animi humani actionem, aegrotare, sed nonnisi impeditum esse, quominus agendo vim suam ostendat: scilicet ipsum, germen aeternae perfectionis aut depravationis in se gerens, morum flagitio quidem corrumpi, numquam vero nec morbo nec morte attingi potest.

Reliquum est, ut de ratione dicamus, qua homines maniaci ad bonam animi valetudinem restituantur. Duplex autem omnino est resipiendi via, animus enim aut ex ipsa mania ad bonum statum ducitur [1]), aut per alias vesaniae formas. [2]) Alter modus aut cito contingit intra paucarum horarum dierumve spatium, aut diuturnus est, ut post menses annosve malum removeatur. Neque hoc loco praetereunda est disquisitio, reditus perversionis animi ad statum pristinum num sanando tantum corpore, an animi ipsius vi interna efficiatur. Quaeritur igitur, num notiones, de quibus in sanando corpore loquimur, etiam animi restitutioni aptae sint, num de crisi et lysi maniae dicere possimus. Crisin vero psychicam *Esquirolius* pronuntiat esse [3]), huiuscemodi casum enarrans, feminam mania periodica vexatam semper

---

1) Conf. *Jacobi* Tobsucht e. gr. cas. III, VII, IX, alios.
2) Eid. l. c. cas. I, XIV, XXIV, alios.
3) Folie I, p. 46 sqq.

male se habuisse, si voluntatis vi ipsa paroxysmum prohibere studeret, vel prohiberet. Quibus similia a me observata addere possum: audivi aegrum, dum lucida intervalla aderant, affirmantem anxietatem et affectiones iniucundas, quae eum in accessu opprimerent, imminui clamando, pulsando, furendo, et eadem mulier sanata contendit; legi in historia alius, qui Sigeburgi curatus est, eum de dolore frontis questum esse, si monente medico vi animi vertiginem conceptionum defendere tentaret, observavi saepius maniacos delirantes, fortiter monitos, invitos nec sine affectione iniucunda conatos esse redire in memoriam earum rerum, de quibus interrogati essent, omnino inveni furore et delirio aegris conditionem faciliorem reddi. [1])

Ex quibus hanc deducimus admonitionem, ne omnem salutem in paroxysmis supprimendis ponamus, sed tantum usque ad eum gradum aegros vi coërceamus, ne sibi aliisve noceant. Quod si quae enarravi explicare volumus, cogimur, ut aut statuamus animum, re vera aegrum, violenter agendo propriam pro se crisin evocare, motusque corporis vehementes aut nullius, aut tantum pro corpore critici esse momenti, aut dicamus crisin fieri per vehementes motus et quae aliae accessus tempore in corpore apparent, animi autem actiones sequelas signaque esse tumultus, qui in corpore est, et querelas aegrorum post conatum supprimendi per voluntatem paroxysmi auditas oriri hac ex causa, quod perturbatione corporis restricta morbus corporis, qui accessu maniaco im-

---

1) Ceterum neque observavi ipse, neque ex aliis audivi, neque legi, excepto, quod *Esquirolius* narrat, umquam contigisse, ut paroxysmus maniae via psychica supprimeretur, sed tantum, et id saepius vidi, ut aeger, *leniore praesertim tumultu*, vituperio vel monitu per parvum temporis spatium tranquillus fieret.

minutus esset, crescat, saltem non decrescat. [1]) Iam autem supra demonstravimus in mania ipsa non verum morbum animi, sed tantum perturbationem earum actionum adesse, quae ex corpore pendent, demonstravimus in dispositione, praecursoribus et acme mania aequabiliter turbationem animi et morbum corporis progredi, numquam videmus maniam solius animi quam vehementissimo impetu sanari, sed tantum paroxysmum simplicem restringi, numquam videmus crisin animi pro se et corporis pro se, neque corpore sanato vesanis quis mansit: ergo iure concludimus non esse crisin animi, sed si per crisin somaticam morbus, causa maniae, imminuatur vel auferatur, etiam maniam imminui vel cessare. [2])

Quae omnia etiam de lysi pronuntiare possumus: iisdem enim principiis eadem perstat conclusio.

---

1) Animi vero actione voluntaria in corpore talia effici posse multis experimentis probatur, ipseque ex illustris *Nasse* ore accepi, sibi virum cognitum esse, summa voluntatis vi praeditum, qui, meningitide vehementi laborans, sua voluntate delirium aggrediens defenderit; alius mihi notus, qui typho correptus, quum tota paene familia eodem morbo laboraret, vi animi per totum morbum extra lectulum versatus est, neque deliravit. Quibus in casibus nemo delirium non ex corpore pendere, neque si semel exstiterit, unquam alio modo, nisi crisi somatica auferri, neque delirium pro se crisin, facere putabit, sed tantum animo inesse vim *definitam* ad leniendam vel amovendam corporis aegrotationem.

2) Neque parvi pendendum aegros signa doloris tantum edere, sensus communis laesi, quum tentant vi animi delirium amovere quae res pro virili parte probet paroxysmos maniacorum critici momenti ita tantum esse, ut adaucta nervorum et cerebri irritabilitas minor fiat, ideoque fere semper crisin esse imperfectam, quum carissimi sint casus, in quibus una maniae causa in tali irritabilitate norma maiori sita est. Quod usu affirmatur.

Nec dicat quis nos aegros interdum videre, qui corpore sanato, animo etiamtum tardo aut nimis irritabili sint, nec citet casum supra enarratum: nam semper diligens medicus aegrotationem, forte parvam observabit, sicut in nostro aegro nutritio nondum satis normalis, quum Sigeburgo discedebat, quod facies pallidior demonstrabat, neque hernia plane evanuerat. Magnos autem non esse morbos, qui vesaniam efficiant, iam saepius ab egregiis artis nostrae viris probatum est.

Haec hactenus! Convertamus nos ad modos, quibus mania in bonam animi valetudinem transit. Iam diximus, quemadmodum morbi corporis duabus rationibus sanentur, ita etiam vesaniam: aut enim intra parvum temporis spatium, quod crisi respondet, aut intra longius, quod lysi, evanesceret. Si subito aegri meliores fiunt, quoad ipse observare potui, semper apparet aut crisis perfecta, saepe evacuatoria, ut haemorrhoidibus sanguinantiuus [1]), aut mutatio morbi corporis eximia. [2]) Quos casus perraros fuisse et

---

1) Cuius generis hunc casum vidi. Vir, XXXV annorum, ingenii mediocris, constitutionis irritabilis, cuius cognatorum plures vesani fuere, post moerorem diuturnum, post vitam omni modo libidinosam, iam ex pluribus annis haemorrhoidibus secundo vel tertio mense fluentibus vexabatur, quae ex septem proximis ante vesaniam mensibus non apparuerant. Iter faciens nostalgia correptus est, quam subito, praegresso accessu epileptico, mania timida secuta est, quae post duarum hebdomadum intervallum, quum noctu haemorrhoides fluere coepissent, postero diem iam tantopere imminuta est, ut aeger mentis compos, sui conscius esset; quamvis quaedam conceptiones erroneae et anxietas remanerent, quae et ipsae paucis diebus post, somno praeter morem longo, evanuere, ita ut aeger convalescens esset, et, semel quidem per tres dies congestione ad caput insurgente peior factus, sanatus post IV menses dimitteretur.

2) Cuius rei exemplum clarum Sigeburgi vidi. Aegra enim ple-

fore, eo iam efficitur, quod morbi maniam provocantes, fere semper chronici, perraro crisi perfecta diiudicantur vel locum formamve cito mutant.

Aeger talibus evenientibus paene uno momento sui conscius et compos animi, cupiditates et affectiones statim lenitae, intellectus minus impeditus, sed per plures dies vel hebdomades manet animi irritabilitas abnormis, quam etiam in corpore post crisin observamus.

Etiamsi autem morbi, qui maniae causae sunt, rebus bene evenientibus, plerumque lysi amoveantur, tamen raro ex mania ipsa restituitur animus, quod si fit eadem, quae ceteri in sanatione, sed lentiora, accidunt. Plerumque metaschematismus morbi oritur, quam comitatur dementia lenioris gradus [1]), vel melancholia [2]), interdum insania [3]), ex quibus animus sanus prodit.

Iam quaerendum, quod convalescentiae stadium dicamus et quae eius signa. Omnino convalescentiae nomine id significamus aegrotationis spatium, in quo morbo iam debellato permagna adsit ad denuo aegrotandum dispositio, quum corpus, nondum plane restitutum, nocentibus valde obnoxium sit. Quam definitionem de morbis vesaniam efficientibus valere per se clarum est, nec minus verum illam recte intellectam etiam de animo valere. Vesaniam ergo evanuisse,

---

rumque omnia signa normalis animi status prae se ferebat, alvi autem profluvio immoderato, sensu quasi orbis circa abdomen iaceret, dolore spinae dorsi, omnino symptomatis morbi medullae spinalis vexabatur, quae si evanescebant, si alvus obstruebatur, quod periodice factum est, eodem die furore maniae corripiebatur, qui ipse rursus plane evanescebat, si symptomata morbi medullae spinalis apparebant.

1) Conf. casum supra narratum, *Jacobi* Tobsucht cas. II, XII, XVII.

2) Conf. eid. l. c. cas. I, XI.

3) Conf. eid. l. c. cas. XLVI, IL.

nec tamen plena valetudo advenisse debet, ut animi convalescentia adsit. Et tale stadium semper adesse usus docet, semper enim aeger per aliquot temporis non quidem vesanus est, nam liberam arbitrium et cognitio libera aegro reddita sunt, sed vexatur animi habitu modo hypochondrico, modo hysterico, modo tristiori, modo tardiore, modo iracundo, omnino habitu eiusmodi, qui ex turbatione animi morbosa oritur, non tam forti, ut libertas auferatur. Medium igitur tenet locum habitus inter illum, quem nomine dispositionis psychicae et illum, quem praecursorum nomine cognovimus.

Signa vero, convalescentiaê quae optima mihi videntur, psychica sunt ante omnia, ut maniae symptomata eum quidem ad gradum evanuerint, ut aeger sui conscius et mentis compos sit. Sed bene perscrutandus aegri animus, ne illa, quae adhuc erronea, silentio obtegantur. Quae plerumque sane, quasi vi interna coacta ad lucem produntur, quum plurimi vesani, quod memoratu dignum, omnibus in rebus potius, quam in vesanis opinionibus et actionibus sibi contradici sinant; sed interdum multa cum sagacitate falsas suas conceptiones medico inquirenti detrahunt.

Quum Sigeburgi essem, accidit, ut aeger astutus, maniacus, melior quidem factus, sed nondum convalescens, ubi vidit medicos magni pendere eum prava multa deseruisse, haec contegebat, sperans fore, ut citius dimitteretur, quum eodem tempore litteris ad cognatos missis erronea multa, quasi vera essent, narraret.

Tum requiritur, ut aeger ipse sentiat et sciat vesanum se fuisse, neque solum medico urgente confiteatur, ne forte eo consilio hoc concedat, ut ex cura dimittatur. Quod signum sane magni est momenti: iudicium nostrum enim pendet ab iis, quae in nobis sunt, sive in nobis genita, sive externis excitata sunt, cognoscimus, ut aliis verbis dicam, numquam rerum substantiam, ne rerum attributa quidem per se, sed directe eas mutationes, quas in nobis per sensus promovent. Si ergo medium illud turbatur, per quod mens

nostra externas res aspicit, necesse est falsam rerum extra nos positarum cognitionem in nobis exoriri, necesse est vesanum, qui eodem modo concludit, ut ante, se pro sano et ceteros homines pro vesanis habere. Sin normalis medii anthropologici redierit conditio, per se redit vera mundi cognitio, simulque cognitio antegressae cognitio. Homo enim, ut per se clarum, si nunc alia, contraria ei accidunt, quam antea, semper concludit ea, quae ante pro veris habuerit, falsa esse; quare vesanus ea, quae ante vesaniam vera putavit, falsa putat esse, cuius rei testimonia haud raro ex aegrorum ore profluunt, saepiusque etiam profluerent, si magis specularentur et concluderent, quam eis consuetum est, et sanatus ea, quae in vesania pro veris habuit, falsa esse cognoscit. Quam ad rem accedit, ut a Deo nobis insitus sit sensus normae et abnormitatis tam corporis, quam animi, qui sensus, saepius in ipsius morbi spatio, non plane suppressus, in aegro divinationem quandam de conditione animi perversa provocat, et convalescenti aegro eo magis iudicium verum suppeditat.

Tertium signum est, si aeger ea, quibus per morbi spatium et bonis et malis affectus est, recte iudicat, si animo grato etiam de iniucundis sibi necessario adhibitis loquatur. Mali ominis est, si harum rerum non sine iracundia reminiscitur, quippe hinc intelligitur, aegrum nondum satis clare agnoscere vesanum se fuisse, ergo nondum adesse cognitionem liberam.

Quartum signum est memoria rerum, quae per maniae tempus circa aegrum actae sunt, quae quidem primo manca et incerta, meliore progrediente valetudine copiosior et certior, nec tamen semper perfecta.

Quintum signum est, si sensim restituuntur omnia illa, quae aegro ante morbum propria fuere, quae ubi omnia adsunt, plena adest valetudo.

Quae quinque signa et convalescentiae et bonae animi valetudini communia hanc utramque ab ipso morbo distin-

gunt; ipsae inter se differunt irritabilitatis animi gradu norma maiori vel minori, de qua supra iam dixi.

Addendum autem plerumque aegros, quos Sigeburgi vidi, hoc ad stadium convalescentiae advenientes, ut omnibus affectionibus animi obnoxios, sic etiam nostalgia corripi; primum vero, dum morbus manet, saepe domum et familiam desiderant, quum insit plerisque desiderium eorum, quae absunt, ut domi peregrina, peregre domum appetant, sed vera nostalgia exoritur incipiente convalescentia; quippe quum videant se tanto et tali morbo evasisse et animo teneri adhuc tristis sit consuetudo vesanorum, optant cognatis se ostendere, ut secum gaudeant, et ex domo exire moeroris. Si autem instauratio progreditur nostalgia cedit, multi ipsi petunt, ut sibi venia remanendi aliquamdiu detur, quum tam intelligant utile sibi id fore, quam pacata sit morbosa animi mollities. Plenam autem sanationem unde cognoscamus, iam supra demonstravi.

Nec vero semper homo, si meliorem redigitur in statum animi, plane sanatur: remanent formae aberrationis psychicae medium inter vesaniam et bonam animi valetudinem tenentes, animi scilicet functiones anthropologicae turbatae manent, non autem tantopere, ut libertas animi dispereat, quales sunt hypochondriasis, hysteria, animi moestitia saepe sua sponte revertens, iracundia nimia, alia eius generis. Quae tamen non remanent, nisi remanet morbus corporis, qui saepius *μεταστατεῖ* aut *μετασχηματίζει.*

Quibus quidem omnibus collectis, in omnibus maniae stadiis fundamentum psychologicum turbationem esse earum functionum animi videmus, quae et ab corpore, et ab animo pendent.

V I T A.

Natus sum ego *Georgius Carolus Schmidtborn* in pago *Neunkirchen* d. 15. m. Aprilis a. MDCCCXXII, *Henrico Philippo Schmidtborn* et *Sophia* e gente *Wagneriana* parentibus, quos ut Deus Optimus Maximus diu mihi vivos servet, quotidie precor. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis partim in schola evangelica publica, partim domi privata disciplina imbutus, puer novem annorum Saraeponti viro egregio *Follenio*, Verbi ministro, edocendus traditus sum. Quem quum tres per annos adiissem, Gymnasium frequentavi Saraepontanum per quinque annos; unde iis, quibus aetatem puerilem et adolescentem instrui decet, artibus instructus, testimonio maturitatis ornatus, dimissus et d. 24. Octobris a. MDCCCXXXIX. a *Goldfussio*, V. Cl., tum Rectore Magnifico, in civium numerum Regiae Litterarum Universitatis Rhenanae relatus et a Decano Spectabili *Kiliano* V. Cl. in Amplissimi Medicorum Ordinis album inscriptus sum.

Quadriennio academico absoluto examineque rigoroso exantlato per semestre in nosocomio Sigeburgensi, quod directore *Iacobi* V. Ill. floret, munere assistentis medici primi functus sum.

Scholarum quidem philosophicarum duces mihi fuerunt: *Van Calker* V. Cl., *Nasse* V. Cl., *Noeggerath* V. Cl., *Vogel* V. Cl., *Goldfuss* V. Cl., *Plücker* V. Cl., *G. Bischof* V. Cl., *Ritter* V. Cl., *Diez* V. Cl.

In medicinae autem variis disciplinis praeceptores mei fuerunt: *Mayer* V. Cl., *Weber* V. Cl., *Naumann* V. Cl., *Albers* V. Cl., *Nasse* V. Cl., *Harless* V. Cl., *Wutzer* V. Cl., *Kilian* V. Cl., *Birnbaum* V. Cl., *Budge* V. Cl.

Quibus ab omnibus viris me tot tantisque beneficiis cumulatum esse, semper semperque animo pio gratoque inhaerebit.

THESES CONTROVERSAE.

I. *Divinatio est rerum futurarum.*

II. *Nomina summum in medicina bonum.*

III. *Omnes morbos sanare licet.*

IV. *Vesania animi turbatio, non morbus.*

V. *Omnium febrium cura symptomatica.*

VI. *Nulla operandi methodus optima.*

VII. *Vivum foetum perforare licet.*

VIII. *Partum arte praematurum in primiparis instituere licet.*
